9

# TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE SANGUINIS DETRACTIONE.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GUL. MACKINEN FRASER,

ANTEGUENSIS.

—— Nos non interpretum fungimur munere, ſed tuemur, quae dicta ſunt ab iis, quos probamus, eiſque noſtrum judicium et noſtrum ſcribendi ordinem adjungimus.

CICERO de finibus, l. 1.

Prid. Id. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE, Academiae Typographos.

M,DCC,LXXV.

To

Mr. Dennison

From his Sincere Friend &
Fellow Candidate.
The Author

Viris egregiis

GULIELMO FRASER, ARMIGERO,

A BALNAIN;

Et

GULIELMO MACKINEN, ARMIGERO,

ANTEGUENSI,

Illi Patruo, huic Avunculo,

Piiſſimis, cariſſimis;

Ob utriuſque erga ſe

Parem et paternam

Curam,

Hoc opuſculum medicum,

D. D. C. Q.

GUL. MACKINEN FRASER.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

# SANGUINIS DETRACTIONE.

UT valetudo bonorum, quibus mortales fruuntur, jure ſummum, et ſine ea vita nihil, habentur; ita medicina, quae ars humanae ſaluti praeſidet, ſummo hominum ſtudio, et enixa animi attentione, non digna eſſe non poteſt. Quod cum ita ſit, tamen, ab aevi principio ad hunc uſque diem, ſalutiferam hanc, et, ſi ſuis abſolvi partibus poſſet, divinam, artem tardiſſime proceſſiſſe, dolendum eſt. Hujus rei duae cauſae potiſſimum, eaeque manifeſtae, ſunt. Primum, licet experimenta, quae, ut aliarum cognitionum, ita et medicae verio-

ris, ſola fere fundamenta ſolida ſunt, nobis ad artem noſtram excolendam manifeſtam viam praemonſtrent; tamen, ante Jacobum primum Britanniae Regem, nemo ubivis per tot ſecula de iis inſtituendis, et ſic ſecura, quamvis lenta, via ad cognitionem munienda, ſive caſu ſive conſilio ductus, ulla ex parte cogitaverat: Haec gloria Bacono ſoli relicta eſt. Et, quod ad medicinam attinet, hujuſmodi experimenta, toties, quoties uſus artis poſtulet, in vita hominis inſtituere, quia inhumanum eſt, ideo ab experimentis medicina ſola omnium artium minimum fructum percepit.

Fugiendumque, ut plurimum, eſt ad rationis ſimilitudinem, fallacem ſane ducem; et, in tantis tenebris, quantae iter ejus occultant, cautiſſime ſequendum. Hinc tarde proceſſit medica ſcientia. Et, ſicubi res verae ſpectatae ſunt, et inde periculo facto deductae concluſiones, ob illarum paucitatem, falſae opiniones, in errores graviſſimos ducentes, plerumque ſuccreverunt. Ob quas cauſas,

ſas, ars noſtra, quae, utut difficilis, verum cultum tamen recipit, quaſi omni ex parte conjecturalis, ludibrio habita eſt. Inde, de omni fere medicinae parte, opiniones et controverſiae, nihil firmi aut ſolidi relinquentes, et de nulla magis, quam ſanguinis detractionis effectibus, omni tempore exſtiterunt. Quos igitur effectus, cum tot morbis ſanandis accommodentur, eoque inveſtigatu ſane digni ſint, pro hujus diſputationis argumento potiſſimum aſſumpſimus.

Qua in re, ſi, propter juventutem et rerum imperitiam, conamina noſtra, quod multis claris viris uſu quoque venit, ad ſpem parum ſucceſſerint; tamen, ſi res veras in ordinem redigendo, et commodiorem illuſtrandi viam praemonſtrando, aut aliquam ipſi lucem rei obſcurae affundere, aut exemplo noſtro feliciora ingenia ad id conandum excitare, potuerimus, partes abſolviſſe, aut non certe vituperandi eſſe, videbimur.

Haec

Haec praefatus, opus noſtrum in has partes ſeu capita diducam; ut primum de ſanguinis circumfluentis uſu ejuſque natura, quaedam proponam; dein ejuſdem detracti effectus memorem; tum conſilia, quibus ut remedium accommodetur, tradam; poſtremo corporis, quae ſanguinis detractionem tutam proſperamque promittant, conditiones explicem.

## CAP. I.

*De ſanguinis circumfluentis uſu et natura quaedam.*

Priuſquam ſanguinis circumfluentis uſus communiores attingamus, illius naturam et proprietates paucis conſideraſſe, quo clariores hi videantur, haud alienum erit. Sanguis, prout in corporis vaſis circuit, humor ruber homogeneus eſſe videtur; ſed, ut mox cernetur, heterogeneus eſt. Chemice tractatus, eaſdem, quas quaelibet materia animalis,

lis, partes exhibet. Quae omnes, cum in ſano ſanguine ineſſe nequeant, ita eum componentes partes non exiſtimandae ſunt. Suntque potius ignis, ut ita dicam, proles, ex tanto caloris, quantum vivo corpori humano minime convenit, ſubnaſcens.

Idem ſanguis vaſis eductus vaporem conſpicuum protinus emittit, et, pro rata parte, proque variis quibus objectus eſt rebus, pondus priſtinum amittit. Cum aliquamdiu ſub divo quievit, in rubrum, tremulum, denſiorem humorem, ex quo tenuis, ſerum dictus, emanat, paulatim commutatur. Quoque magis ſeri ſeparatio fit, eo reliquis humor denſior contractiorque evadit. Hic perparum cruor, rectius craſſamentum, dictus eſt. Sicque in duas partes ſanguis ſponte ſua ſecedit, quarum utraque, licet homogenea videatur, diverſis quoque partibus, facile inter ſe ſegregandis, conſtat. Nam a craſſamento, veſti lineae impoſito, rubram partem per veſtis foramina aqua affuſa abluit, albeſcentem, denſiorem, ſed mollem et viſcidam,

cidam, materiem relinquens. Haec, ab aliis medicis aliter adpellata, Gluten rectius dicitur. In ſanguine e vivis animalibus educto, Cruſta Inflammatoria nuncupatur.

Sanguinis, microſcopio perſpecti, color rubris quibuſdam particulis, quae ideo globuli rubri nominantur, deberi videtur. Eae partes potiſſimum ſunt, quae in experimento ſupra relato a craſſamento abluuntur. In quo ideo globuli rubri, gluten, et ſeroſitatis, maſſa concreſcente impeditae, pars, ſola manifeſto continentur. Item ſerum, quod ſimplex et pellucens humor videatur, in firmam et pene pellucentem gelatinam, cum cuidam caloris gradui exponitur, concreſcit. Ex qua, in fruſtula minuta conciſa, humor tenuis ſine colore, ſapore ſalſo, exſudat. Unde ſerum, prout ſponte a ſanguine ſecedit, ex glutine in ſalino humore, qui ſeroſitas dicitur, diſſoluto, conſtare credendum eſt. In ſummam, in ſanguine tres partes diverſas, globulos rubros, gluten, et ſeroſitatem, ineſſe apparet.

Qua-

Quarum priori illius rubedo, poſteriori denſitas, poſtremo fluor, debetur. Eaſdem, quantumvis natura diverſas, aequaliter tamen mixtas, ſed non penitus cohaerentes, aut in humorem homogeneum coeuntes, ſanguinis in ſano ſtatu motus ſervat retinetque.

Sanguinis ſic explicati proprietates praecipue e vaſorum actione pendere, eoque ad nervoſi generis ſtatum quendam referendas eſſe, experimentis ab Hewſonio et aliis nuper inſtitutis, diſcitur. Cumque ſummopere naturam, ut vaſa ſanguifera fibrillis nervoſis ubique intertexat, laborare videamus; ita aliquid in ea re concilii eſſe credibile eſt. Hinc certe tenſio eſt, a vaſorum ſanguiferorum plenitudine pendens. Cujus rei rationem ſanguinis detractionis, poſtea explicanda, effecta illuſtrabunt.

Cum porro horum vaſorum extrema innumerabilibus finibus adaperta pateant, mireris, quomodo humores, quaſi aqua cribro, non undique diffluant. Qui utique eo continentur,

tinentur, quod rubri globuli et gluten vaſa majora ſemper plena ſervant, et partibus viſcidioribus impedita ſeroſitas, effluere, et majorum vaſorum humores fluendo ineptos reddere, prohibetur.

Corporis etiam calor ſanguinis circuitus rationem habet magnam. Nulla enim in animante vis caloris genetrix prius perficitur, quam ſanguinis motus prorſus abſolutus eſt. Viſque eadem abſoluta, pro variis rebus, ſanguinem aut percitantibus aut retardantibus, major aut minor deinceps reperitur. Verum, licet hanc cum ſanguinis motu caloris gignendi poteſtas rationem nexumque in pleriſque rebus habeat; tamen, in multis animantibus, quibus ſanguis ruber, vaſa perfluens, ineſt, caloris defectus non ſinit ſui cauſam ſanguinis motui tribui. Praeterea, quoniam in multis animalibus, aetate, magnitudine, et temperamento diverſis, et eundem prope calorem habentibus, motum quoque ſanguinis eundem eſſe; aut in animalibus quorum alius in alio calor eſt,

ſan-

ſanguinis etiam motum pariter et pro ratione variare, demonſtratu foret difficile; nonne igitur, eſſe in vitali animantium principio aliquid, omnibus ejuſdem claſſis et conformationis commune, quod, ut motus pariter in principium vitale agat, licet is diverſis rebus et cauſis variet, efficiat *, credibile eſt? Poſtremo, ſanguis humorem, unde omnes corporis procreantur, praebet.

His de ſanguinis circuitu et natura expoſitis; ad effecta ejuſdem detracti, quibus explicandis jam dicta neceſſaria duximus, deinceps procedemus.

## CAP. II.

### *De ſanguinis detracti effectibus.*

Huic remedio, adverſus multos morbos perquam utili, multae virtutes, quas corporis



* Cull prael. CCLXIX.

ris humani, ut animati, ratio reſpuit, omni tempore tributae ſunt. Cujus erroris, ut alias omittam, praecipuam cauſam attulit doctrina hydraulica; qua omnia, ad humorum in corporibus noſtris motum pertinentia, ex legibus quibuſdam, quae humorum in machinis rigentibus motui ſoli conveniebant, auctores ejus explicarunt, et corporibus noſtris motus inchoandi principium ineſſe, aut genus nervoſum primigenitam partem eſſe, et reliquos omnes motus regere, nunquam reputarunt. Verum de ea, et aliis hujuſmodi opinionibus, nullam controverſiam movere mihi in animo eſt, tantumque ex mutationibus corporis quas facit, morbiſque, quibus medetur, ſanguinis detractio, pauca de ejus effectibus praecepta communia tradere.

Primus et maxime manifeſtus ejus effectus eſt, humorum circumeuntium copiam imminuere. Quae, utique copiae imminutio multos, ſanguinis detractionem ſequi ſolitos, effectus non ſatis explanat. Nam, ſi corpore erecto, una aut altera uncia vaſe educta,

ducta, ad defectionem animae faciendam ſatis eſt, et ſaepe eſſe, multa experimenta oſtendunt, triplumque aut ſextuplum, recumbente eo unde ſanguis detrahitur, quod aeque exploratum eſt, non facit; certe ea res pro copia adempta ſola effectus non reſpondere demonſtrat. Cum igitur ſoli copiae noſtri remedii effectus tribuendi non ſint; ut, cui rei tribuendi ſint, uno aut altero verbo dicam;

Relaxatio, quam ſanguinis detractio parit, duobus rebus, copiae detractae, et temporis quo detrahitur, brevitati tribuenda videtur. Id eſt, ſi mathematicae illuſtrationi ignoſces, ſanguinis detracti effecta in ratione copiae recta et temporis inverſa ſunt. Hinc, dato tempore, effectus pro copia; aut, hac data, pro tempore inverſe, erunt. Illuſtrandi ergo, ſit E effectus, C copia, et T tempus; et effecta erunt ut $E = \frac{C}{T}$

Praecipua igitur ſanguinis detracti virtus, ab ejus vaſis ſanguiferis tenſionem demendi, et pro copia et tempore relaxandi, poteſtate deducenda eſt. Quam quidem rem haec ratio ſatis illuſtrat. Cum ex eo vaſorum genere, in quo craſſamentum eſt, quod ad eam vaſorum plenitudinem et tenſionem, quam vitae et ſanitati adeo neceſſariam haud ſemel dictum eſt, optime accommodatur, ſolo detractio fiat; eoque, hujus pro ratione, quam aliarum partium, plus corpore educatur *; ideo ſic quoque tenſionem optime imminui, et relaxari vaſa ſequitur. Quod autem paucarum unciarum detractio ſubita plus ad diatheſin phlogiſticam ſolvendam, quam tripla, ſed tardior, conferat; ex ea re haec norma ſanguinis detractionem reſpiciens trahenda eſt; ut, ubi, ad vaſorum ſanguiferorum tenſionem et actionem nimiam, qui ſolus ejus uſus eſt, imminuendam, detractio fit, ea quam maxime ſubita et ex quam ampliſſima plaga fiat. Quare vaſorum ſanguiferorum plenitudo ea, quae tenſionem dat, poteſtatem motricem aut nervoſam adeo afficiat,

* Queſnay traité de ſaignée.

ciat, haud explicatu facile eſt. Res tamen vera eſt. Ita in inflammatione, ubi tenſio ſemper multum aucta eſt, multum quoque ſenſibilitas augetur. Contraque in haemorrhagiis, aut poſt immodicas ſanguinis detractiones, ipſum vitae principium laborat.

Licet animalium vigoris verae cauſae explicari nequeant; tamen res quaſdem cum eo propius conjunctas cernere datur. Harum in numero, et praecipua forſan, tenſio eſt. Nam, licet in nonnullis animantibus, cerebri incitatio, deleto humorum motu, quodammodo maneat; tamen, ſine vaſorum ſanguiferorum tenſione pariter et actione, diu ita manere, ut corporis actiones rite peragantur, non poteſt. Et, quamvis genus nervoſum corporum animantium princeps et primigenita pars eſt, ſemperque deinde omnium motuum et actionum earum origo eſt; tamen diverſas vaſorum ſanguiferorum conditiones reſpicit, et ab iis multum ſervatur. Hoc tenſionem inter et poteſtatem a-

nimalem

nimalem nexu mutuo, et quaſi copula, commonſtrato; illinc alium ſanguinis detractionis effectum profluere, nempe nervoſae cerebri poteſtatis imminutionem, videre eſt. Et ſic, poteſtatum ſanguinem moventium vigore imminuto, ſanguinis motus languebit.

Neque, ſi ſanguinis jacturam crebriores cordis et arteriarum contractiones quando ſubſequuntur, ea res concluſionem noſtram turbat; ſi quidem unaquaque contractione minus ſanguinis propulſum, non vigorem manere, ſed naturam, ut ejus amiſſionem crebrioribus conatibus penſet, laborare fidem facit. Vi nervoſa imminuta, et ſanguinis languente motu, calor imminuitur. Quomodo haec inter ſe conjungantur, quia ſupra dictum eſt, ſupervacua porro verba ſunt.

Opinionem, in ſcholis diu celebratam, derivationis et revulſionis, eo tacuimus, quod, ne alia adverſus eam argumenta adferantur, plurima et maxima ſanguinis e parvis vaſis

partis

partis detracti exempla, quantum ea doctrina a vero abludat, vel ſola oſtendere ſufficiunt. Effectibus ejus ſic explicatis, ſanguinis detractionem remedium atonicum eſſe, recte concludere videor.

## CAP. III.

*De conſiliis quibus ſanguinis detractio accommodatur.*

Vita in ea generis nervoſi conditione poſita eſt, qua hoc inchoando et continuando motui aptatur; hunc motum fere peragit, quarundam generis nervoſi partium, quae fibrae muſculares nominantur, contractio. Ad contractionem fibrarum peragendum, quaedam harum extenſio requiritur. Hujuſmodi contractionum, ſeu motuum, plerique ex ſenſibus in cerebro excitatis ſuboriuntur. Cumque eorum ſenſuum, hoſque ſequentium, motuum vis, vaſorum cerebri ſanguiferorum plenitudini pro ratione reſpondeat;

ſpondeat ; ita, quadam cerebri vaſorum tenſione, ad ejus actiones ſuſtentandas, opus eſt. Hic fibrarum ſentientium et moventium ſtatus, quem tenſionem diximus, in vaſorum ſanguiferorum, mirum in modum in omnia corporis diſtributorum, plenitudine conſiſtit, ut e ſanguinis circumfluentis uſibus, ejuſdemque profuſi effectibus, judicandum eſt.

Sanguinis copia juſto majore, vel, ut etiam haec juſta ſit, vaſorum fibris muſcularibus ſpaſmo conſtrictis, eo magnitudinis tenſio procedere poteſt, ut univerſarum fibrarum muſcularium tonum nimis augeat, harumque ſic contractiones debito validiores, et quadam ex parte celeriores, reddat. Is ſtatus diatheſis phlogiſtica adpellatur. Quae, niſi affectum localem prius excitando, raro ita totum corpus, ut vitae noceat, afficit. Affectus quem diatheſis haec excitat, et unde ei inditum nomen eſt, partis alicujus inflammatio eſt. Utrum vero prius diatheſis phlogiſtica toto corpore ſic invaleat, quam ſanguinis in partem, hujus inflammationem faciens,

faciens, congeratur, an congeſtio et inflammatio praecedens, reliquo corpori auctum tonum, in quo diatheſis phlogiſtica conſtat, impertiat, haud adeo facile explicatu eſt. Neque ego ſolvere nodum audebo. Satiſque eſt, ſcire inflammationem idiopathicam ſemper plus minuſve diatheſis inflammatoriae habere, morbumque, ſive parte contentum, ſive toti corpori communem, ab arteriarum, quam harum aucta tenſio tonuſque dat, actione aucta pendere, ſanguiniſque, quae tenſionem et tonum illum imminuit, ſolvi detractione.

Immodica ſanguinis copia plethoram, quam diatheſis phlogiſticae ſaepe aliquid comitatur, efficit. Plethoram compreſſio ſive effuſio plerumque ſequuntur. Quae eo periculoſiores ſunt, quo pars quam afficiunt vitae magis neceſſaria eſt. Iis, igitur, quoniam ſummae ſaepe corpori noxae ſunt, ſive venturis occurrere, ſive praeſentes lenire aut tollere, multum intereſt. Sed ad hunc finem, quam ſanguinis detractione, felicius

pervenire non poſſe, ejus in corpore animali effecta docent. Cum enim, ut ſupra relatum eſt, illa cerebri actionem et vaſorum tonum potenter imminuat; ita ſanguinis impetum reprimet, moleſtiaeque a calore, qui actionem vaſorum auctam ſemper comitatur, moderabitur.

Hinc communis univerſo corpori relaxatio ſequetur. Cum igitur, ut omnia, quae memorata ſunt, oſtendunt, ſanguinis detractio tam totius corporis, quam vaſorum ſanguiferorum, vim agendi potentiſſime imminuat, eſt praecipuum nimiae actioni, adeo toti corpori noxiae, moderandi remedium. Neque adverſus morbos, in humorum vitio conſiſtentes, niſi in genus nervoſum agendo, uſui eſſe poteſt.

CAP.

## CAP. IV.

*De corporis conditionibus, quae ſanguinis detractionem tutam proſperamque promittunt.*

In priore hujus diſputationis parte, communiores ſanguinis detracti effectus rebus veris conſtituere, et inde praecipua et communia magis, quibus remedium accommodatur, concilia, deducere conatus; ſi ſupra expoſita rite intellecta ſint, inde, quibus caſibus generatim ſanguis detrahi debeat, haud obſcurum fore, ſpero. Quod tamen morborum ſpeciebus accommodare, et in iis remedii uſum nominatim oſtendere, paulo difficilius eſt.

In morbis, quos habitum inflammatorium continere, hujus ſymptomata declarant, praecipuum remedium ſanguinis detractionem eſſe manifeſtum eſt. Quod igitur, ut ſupra relatum eſt, ex febribus ſynochae, ex pyrexiis

rexiis toto phlegmaſiarum ordini, haud ambigue reſpondet. Quod autem in hac r anceps magis, prudentis medici judiciun requirit, eſt, quod in multis aliis morbis e juſdem remedii uſu ſaepe opus eſt, cum externa ſigna eum aut non requirere videntur aut noſcituri etiam metum ſubjiciunt. Idqu ſit, quoties non ad morbi radicem ſucciden dam, ſed contra ſymptomata, caſu inciden tia, ſanguis detrahitur. Hujuſmodi caſu multi in neuroſibus noſtris, et febribus pro priis, ſunt. Quod ad has attinet, tanta mor bum debilitas ſaepe praeſens ſuſtentat, et fu tura metuenda eſt, et in ea morbi adeo totu funditus conſiſtit, ut, licet aut initio au quolibet morbi tempore futuro, poteſtatis ſti mulantis exceſſus detractum ſanguinem po ſtulet, hunc tamen indicantia ſigna cognit difficilia ſint. Quo igitur diligentius e inquirenda ſunt. Cumque poteſtatis ſtimu latricis exceſſus, aut corpori magis commu nis eſſe, aut parte magis contineri, poſſit ita, quae ſigna utrumvis denuncient, dicen dum eſt.

Tot

Toto corpore exceſſum ſignificant pulſus validus, durus, et celer; eumque fere ſemper comitans, corporis calor auctus, vultus admodum plenus, cum rubedine turgens, et quodammodo toto corpore diſtenſionis ſenſus. Haec, licet cum debilitate febrili ſaepe conjungantur, ſanguinem tamen detrahendum plerumque oſtendunt; eoque magis, ſi fixum alicubi dolorem comitem habent. Qui utique ſine illis, ubicunque ſentitur, remedii uſum ambigue indicat. Ita capitis aut tergi parte tenui dolor, omnem febrem et typhum quoque comitans, per ſe remedium noſtrum neceſſario requiri non oſtendunt; nec communior multis artubus toto corpore dolor, quippe qui ſtatum inflammatorium non deſignet, rem dijudicat. Haud paulo tamen certius angiotomiae utilis indicium dolor eſt, non ſolum parte contentus, ſed cum tumore, ut in rheumaticis effectibus fit, tuſſique vehemente et difficili, qualis mali catarrhalis eſt; quae, ſive quod febris genus inflammatorium eſſe docet, ſeu quaecunque febris natura

eſt,

eſt, ad ſanguinis detractionem medentis judicium inclinabit. Quod ad ſtimulatricem in parte poteſtatem attinet, ubi inflammationis communis ſigna non apparent, aut contraria, nempe contagionis, ſubeſſe, graſſantis morbi notitia fidem facit, id quod in typho provecto, plurimum debilitatis habente, ſaepe fit; ſanguinis tamen detractio haud raro requiritur. Cujus rei judicium, quia difficilius eſt, quo clarius ſit, paucis notis explicare conabor.

Prima nota a morbo per populum graſſante et cauſa ejus remota trahitur. Itaque, ſi contagio febrem facit, cujus circa initium poteſtatis ſtimulantis nimiae ſigna apparent; haec, licet ſatis manifeſta ſint, minus reſpicienda ſunt; quippe quae cito deceſſura ſint, et in eorum locum debilitatis ſucceſſura. Quod ubi fit, in habitibus plenis, coeliſque et temporibus frigidis, ſanguinis detractio, perquam caute parceque facta, cum periculo iterabitur. Sic Joannes Pringelius Eques, in febre carcerum, unam detractionem tutam pro-

proſperamque, alteram ſummopere periculoſam, reperit. Quos tamen ille curabat, eos juvenes, florente aetate vegetas, fuiſſe, caloriſque et frigoris viciſſitudinibus patuiſſe, animadvertendum eſt. Si cauſa remota aut frigus ſolum eſt, aut hujus cum contagione junctus effectus, diverſe judicandum eſt. Ita, ubi nulla praeiiſſe contagio nota eſt, et frigori homo manifeſte objectus, ſanguinis detractio remedium eſt. Quae, contagione cum frigore juncta, parcius experienda eſt. Huic rei detegendae, et praecipue in febribus, morbi forma inſervit. Igitur, hac in regione et ſimilibus, febres intermittentes vernae, ſanguinis miſſionem, non etiam autumnales, perferunt; demptaque regionis coelique ratione, omnis febris intermittens, minus quam continua, eam recipit. Quocirca, ſi febris generis intermittentis eſt, licet ſub remittentis forma aut continuae appareat, licet habitus inflammatorii haud dubia ſigna ſint, ſcalpello parcius utendum eſt.

Al-

Alteras notas aetas, temperamentum, et corporis habitus praebent. Ita, in habitu pleno et vigente, qualis juniorum eſt, remedium minus metuendum. Verum, licet aetas junior, id eſt, ab anno circiter decimo quarto ad trigeſimum quintum, maximeque a viceſimo primo ad triceſimum, plerumque ea ſit, quae, ob corporis plenitudinem et habitum inflammatorium, liberiorem ſanguinis jacturam patiatur; tamen haec nota fallacia non caret, ſiquidem, intra temporis ſpatium relatum, nonnulli habitibus adeo relaxatis, adeoque non vigentibus ſunt, ut non facilius haec, quam iniens, aut extrema, aetas, hoc remedium perferat. In quibuſdam autem, quorum habitus imprimis inflammatorii ſint, qualis eorum ſunt, qui cynanche, qui rheumatiſmo, et affectibus pneumonicis, multum patent, aut haemorrhagici, quales ii habent, qui ſanguinis e naribus profluviis crebrioribus, praeſertim poſt pubertatem, vexari conſuerunt, quibuſve crebrius ſanguis ante detractus eſt,

in

in iis omnibus ejus remedii liberior uſus ſignificatur.

Quod ad tempora anni et coeli temperiem attinet; ſeptentrionalium, quam meridionalium, regionum incolae ſanguinis miſſionem melius perferunt. Neque ii, qui magnis frigoribus hibernis, dein caloribus aeſtivis magnis quoque, objiciuntur, tam bene illam, quam conſtantiori per totum annum, licet minus frigenti, temperiei aſſueti. Vimque ſuam anni tempus habet. Ita hyeme magiſque Vere, quo tempore morbi inflammatorii magis vigent, ſanguinis detractionis certior uſus eſt. Unoque verbo, quae de contagione, ut febrium cauſa, dicta ſunt conſideratis, hiberno et verno temporibus, quam altero anni dimidio, ſcalpelli minor metus eſt. Neque, ut ſupra dictum eſt, hoc praeceptum Cleghorniane, in inſula Minorca curationes, refellunt; quippe qui, ſi liberius ſcalpello uti viſus eſt, in juventute valida, aetate florente, et nuper e regione frigida tranſlata, id fecerit.

Ex effectibus ſanguinis prius detracti de novo ejus uſu quoque judicandum eſt. Itaque, poſtquam ſemel vena inciſa eſt, remedii renovationem magna ex parte diriget prioris inciſionis effectus. Si cordis et arteriarum actionis auctae, aut ſanguinis in partem impetu concitati congeſtique, ſigna, cujuſmodi ſunt, in diverſis corporis partibus, praecipue thorace, dolores, ſpiritus moleſtus, circa praecordia ponderis et gravitatis ſenſus, et corporis calor auctus, ſublata aut levata ſunt; pulſuſque ſimul, e parvis et contractis, pleniores et validiores fiunt, ſcire licet, remedium haud inutile fuiſſe, et, redintegratis ſymptomatis, redintegrandum quoque eſſe. E contrario, ſi pulſus in majus debilitantur, ſi animae dejectiones, defectiones, aut nauſea, licet a ſupino ſanguis detractus ſit, incidunt, et ſymptomata non levantur; ea res, aut nullum deinceps ſanguinem, aut parcius adimendum, declarant.

Aliam

Aliam notam ſanguinis detracti ſpecies ſuggerit. Si cruſta, quae ſaltem multum cum habitu corporis inflammatorio connectitur, ſanguinem detractum obducit, ea res, ſanguinem et recte nunc, et iterum detrahendum, indicat. Verum abſentem habitum inflammatorium neutiquam, ut nonnulli judicaverunt, abſens cruſta denotat; ſiquidem multa, cujuſmodi vaſis, quo recipitur, capacitas et figura, plagae magnitudo, et aëris temperies, ſunt, illam, alioquin futuram, prohibere poſſunt. Ac neque praeſentia ejus ſemper ſtatum inflammatorium ſubeſſe declarat; nam, in regionum frigidarum febribus, quamvis generis typhi ſint, tamen initio cruſtae inflammatoriae ſemper plus minuſve apparet, in quibus utique morbis iteratum noſtrum remedium certae noxae foret.

Ejuſdem uſui diem certum ut finem antiqui ſtatuerunt, ultra quem maleficio fore judicaverunt; verum, recentiorum virorum curationes illud vanum oſtenderunt, et

et ſymptomatum ſtatu rem definiendam confirmaverunt. Ideoque, licet ultra quartum diem in inflammatione pneumonica ſanguinem non detraxerint, interque hoc tempus efficaciſſima ejus detractio ſit; tamen, quamdiu nulla ſuppurationis aut gangraenae indicia ſunt, quamdiu ſymptomata alia ſaeviunt, aut non ſoluta ſunt, ad ſeptimum, nonum, aut quemlibet, vel vigeſimum diem, cum fructu renovatur remedium. Quod tametſi verum eſt, praeceptum tamen antiquum non in omnibus caſibus prorſus abſque ratione eſt; nam, ubi nulla partis inflammatio ſubeſt, quo plus procedit morbus, eo magis ſanguinis jacturae periculum erit.

Haec ſunt praecipua, de ſanguinis detrahendi uſu, praecepta; eo magis neceſſaria, quo magis quiſque morbus verae inflammationis expers, magiſve anceps erit. Neque tam ex unius cujuſvis, quam omnium ſimul ratione, judicandum eſt.

F I N I S.